

L. 6195



**TERRA SANCTA,**  
*A Petro Laicstain perlus trata, et ab eius ore  
 et schedis à Christiano Schrot in tabulam redacta.*

Horæ itineris.

**MARE MORTUUM.** olim Salinarum  
 vallis, predicata fecunditatis, et amoenitatis quam Iordanis  
 madiam irrigabat adeo ut ob felicitatem paradiso Dei  
 conferebatur. Post autem Sodoma eversa, et vicina  
 opida, mutata est in illam sterilitatem, qua hodie  
 adhuc conspicitur. Divina ultionis admiranda  
 vestigia.



# TERRA SANCTA.



**V**AM veteres Palestinam & Phoeniciam vocauerunt, Europaei omnes hodie Terram Sanctam nominant, eoque vocabulo comprehendunt eam regionem quam olim Israelitarum populo sub nomine Terrae promissionis Deus incolendam dedit, & quam postea defuncto rege Solomone, in dua regna diuisam legimus, in Iudae nempe, quae duas tribus Iudae & Benjamin, atque metropolim Hierusalem habebat: & Samariae, in qua reliquae decem tribus, & vrbs Sebaste, vel Samaria. Huius Terrae sanctae descriptionem recentiore (quam haec tabula exhibet, veterem enim alia sibi vendicat) exactissimam, singulari volumine edidit F. Brocardus monachus, ad quem lectores huius cognitionis studiosos relegamus. Huic adiungant, si velint, Guilh. Tyrj Bellum sacrum, ceterosque Peregrinationum Hierosolymitanarum auctores, quorum non paruus numerus vario linguarum idiomate typis excusus profert. Multi enim Christiani non tantum ex diuersis Europae, sed & totius Orbis, partibus, vni olim, ita & nunc in hanc terram deuotionis ergo se deferunt, Hierosolymam & in ea Domini nostri Saluatoris sepulchrum visitant, ibidemque interdum à Franciscani ordinis monachis milites creantur, quos inde Sancti sepulchri cognominare solemus: quorum creatorum ritum ac modum hic subnectere ex Iodoci Meggeni peregrinatione non iniucundum duximus. Sic enim hunc describit:

**A**NTE omnia igitur ordinandus Miles preparet se ad deuotionem, vt valeat percipere gratiam officij sacrae militiae, ac praemissa confessione, auditaque missa, & percepta dominica communionem, intromittatur in atrium sanctissimi sepulchri, & tunc incipiat iuxta modum qui sequitur. Primo, congregatis omnibus intra sanctissimum sepulchrum, cantetur hymnus, scilicet, *Veni creator spiritus &c.* Deinde, *Emite spiritum tuum &c.*

**R**esponso. *Et renouabis &c.* Domine exaudi &c.  
**O**remus. *Deus qui corda fidelium sancti spiritus &c.* Deinde interrogari debet à Patre Guardiano, *Quid quaris?*  
**R**esponso, *flexis genibus. Quaeo effici miles sanctissimi sepulchri Domini nostri IESU CHRISTI.*  
**I**nterrogatio. *Cuius conditionis es?*  
**R**esponso. *Nobilis generis, & parentibus generosis natus.*  
**I**nterrogatio. *Habes unde honeste conseruare possis statum, & militarem dignitatem, absque mercibus, & arte mechanica?*  
**R**esponso. *Habeo Dei gratia honorum sufficientem copiam.*  
**I**nterrogatio. *Es ne paratus corde & ore iurare pro virili militaria sacramenta, eaque seruare qua sequuntur? Primo, Miles sanctissimi sepulchri*

*omni die opportunitate habita Missam audire debet. Secundo, cum necesse fuerit, bona temporalia & vitam exponere debeat, scilicet, quando est bellum vniuersale contra infideles, & venire in propria persona, vel mittere idoneum. Tercio est obligatus sanctam Dei Ecclesiam, & eius fideles ministros, ab eorum persecutoribus defendere, & pro viribus liberare. Quarto, debet iniusta bella, iniuria stipendia & lucra, hostilitas, duellum & huiusmodi (nisi casus militaris exercitationis) omnino vitare. Quinto debet pacem & concordiam inter Christi fideles procurare, Republicam exornare & augere, viduas & orphanos protegere, iniuriam execrabili, peruriam, blasphemiam, rapinam, vsuras, sacrilegia, ebrietatem, loca suspecta, & personas infames, atque vitia carnis vitare, & tanquam pestem cauere, & se apud Deum homineque irreprehensibilem exhibere, ac etiam verbo ac facto se dignum tanto honore demonstrare, Ecclesias frequentando, & cultum diuinum augmentando. Quatuor ergo, si est paratus corde & ore haec omnia praestari, iurare, & facere.*

**R**esponso. *Ego N. &c. profiteor, & promitto Deo Iesu Christo, & B. virg. Mariae haec omnia pro viriliter obseruaturum. His praestis benedicatur ensis à Guardiano secundum formam inferius positam, si non est alius benedictus: sed si benedictus est, vel post benedictionem, vocato vno ordinandorum, & genu flexo ante sanctissimum sepulchrum, Guardiano ponat manus super caput eius, & dicat, Et tu N. esio fidelis, strenuus, bonus, & robustus miles Domini nostri Iesu Christi, & sanctissimi eiusdem sepulchri, qui te cum electis suis in gloria sua collocare dignetur. Amen.*

**H**oc finito Guardiano porrigit militi calcaria inaurata, quae pedibus suis accommodabit in terra existens. Postea dat ensim nudum Christi militi, dicens, *Accipe N. sanctum gladium in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.* (ter signum crucis exprimens) & vtriusq; ad defensionem tuam, & sanctae Dei Ecclesiae, & ad confusionem inimicorum crucis Christi, ac fidei Christianae, & quantum humana imbecillitate poteris, eo neminem iniuste ledas: quod ipse praestare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat Deus per omnia saecula saeculorum, Amen.

**D**einde ensis in vaginam reponitur, & à Guardiano praedicto ensi cingitur, dicendo, *Accingere N. gladio tuo super femur tuum potentissime, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & attende quod sancti non in gladio sed per fidem vicerunt regna. Ense accinctus Miles surgit, & genibus flexis, inclinatioque capite supra sanctum sepulchrum à Guardiano ordinatur, percussendo ter ensi praedicto capulas militum, & dicendo ter, videlicet, Ego constans & ordinatus N. militem sanctissimi sepulchri Domini nostri Iesu Christi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen, faciens ter signum crucis. Deinde osculetur eundem, ponens more maiorum torquem aureum cum cruce pendente, in collo eius, & ordinatus descendit sanctum sepulchrum: postea discedat & resiliat omnia, & vocato alio, isdem carimonis in numerum militum sancti sepulchri cooptatur, ordinatus inter in atrio sancti sepulchri remaneat, quousque omnes ad hunc honorem promouendi, sint promoti. Post quorum vel cuius ordinationem, Te Deum laudamus, &c. à monachis decantatur, & ad sacellum fratrum minorum itur, vel ibidem statatur, pro vt voluerit vel ordinauerit Guardiano: deinde dicuntur haec in singulari, si vnus est, si vero plures, in plurali. In singulari dicitur, speciosus forma praefilijs hominum accingere N. &c. gladio tuo super femur tuum potentissime: & si sunt plures, dicitur in plurali.*

**V**ersus. *Domine exaudi &c.*  
**R**esponso. *Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.*  
**O**remus. *Da Ecclesiae tuae misericors Deus, vt sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incurfione turbetur. Omnipotens sempiterna Deus, super hunc N. (vel hos) famulam tuam, qui eminenti mucrone circumcingi desiderat, gratiam tuae benedictionis infunde, eundemque dexterae tuae virtute munium fac contra cuncta aduersantia caelestibus armari praesidijs, quibus nullis in hoc saeculo temporibus bellorum turbetur. Per Dominum nostrum &c. Ad extremum amplectitur illum Guardiano & alij, si qui volent.*

**B**enedictio ensis. *Is qui benedicit, tenet ensim nudum ante se, & dicat, Aditorium nostrum in nomine Domini, &c.*  
**O**remus. *Exaudi quae sumus Domine preces nostras, & hunc ensim, quo se famulus tuus hic cingi desiderat, maiestatis tuae dextera dignare benedicere, quatenus possit esse defensor Ecclesiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo seruientium contra sauitiam paganorum, alijque sibi insidiansibus sit terror & formido, praestans ei aequae persecutionis, & iniustae defensionis effectum, per Christum Dominum nostrum, Amen.*

**O**remus. *Benedic Domine sancte pater omnipotens aeternae Deus per inuocationem nominis tui, & per aduentum Christi filij tui Domini nostri, & per donum spiritus sancti hunc ensim, vt hic famulus tuus, qui hodierna die, tua concedente pietate, praecingitur, visibiles & invisibiles inimicos profrenat & conculet, victoriaeque potitus, maneat semper illaesus, per Christum Dominum nostrum, Amen.*

**B**enedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praedium, & digitos meos ad bellum. *Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus & liberator meus, Propterea meus & in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me. Gloria Patri & Filio, &c.*

**S**aluum fac seruum tuum Domine, Deus meus sperantem in te. *Esse ei Domine turris fortitudinis, A facie inimici.*  
*Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum &c.*  
**O**remus. *Domine sancte, Pater omnipotens aeternae Deus, qui cuncta sibi ordinas, & recte disponis, qui ad coercendam malitiam & improbitatem malorum, & tuendam iustitiam, vsu gladij in terris hominibus uia salubri dispositione permisisti, & militarem ordinem ad populi protectionem institui voluisti, quiq; per beatum Joannem militem ad se in deserto venientibus, vt neminem concuterent, sed proprijs conuenissent stipendijs, duci fecisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, vt sicut David puero tuo Goliath superandi largitus es facultatem, & Indam Machabeum de feritate gentium, nomen tuum non innocantium triumphare fecisti, & huic famulo tuo N. qui nouiter ingo militiae colla supponit, pietate caelestis vires ac robur ad fidei & iustitiae defensionem tribuas, praestetque ei fidei, spei, & charitatis augmentum, & tui timorem pariter & amorem, humilitatem, perseverantiam, obedientiam, & patientiam, cunctaque in eo recte disponas, vt neminem cum gladio isto vel alio iniuste ledas, & omnia cum eo iusta & recta defendat, & sicuti ipse de minori gradu ad nouum militarem prouehitur honorem, ita veterem hominem deponens cum alibus suis nouum induat hominem, vt te timeat, & recte colat, perfidorum consuetudine vitet, & suam in proximum charitatem extendat, praeposito suo in omnibus recte obediat, & sum in cunctis iuste officium exequatur. Per Christum Dominum nostrum, Amen. Iuramenti autem formula quam praestare debent antequam ad hunc sanctum militarem ordinem adsumantur, legere est in Leophanti Rauuolphi Itinerario Orientali, Germanica lingua editi.*

*Ex Libr. Bibli. Aeth. O. P. emendato,*



ULB-Halle KS: BT 6 [3]/5 5

